DE

ABLATIVI ABSOLVTI

APVD ANTIQVISSIMOS ROMANORVM
SCRIPTORES VSV.

DISSERTATIO
INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVII. MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCLXXVII
H. XII.
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

ERNESTUS BOMBE
BRANDENBURGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
P. HIRT, SEM. REG. PHIL. SOD.
A. SCHIMBERG, SEM. REG. PHIL. SOD.
P. KROLLICK, STVD. HIST.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS CAROLI SELL.
MDCCCLXXVII.

ADOLFO KIESSLING

S.

Postquam nostra aetate ad antiquissimos Romanorum scriptores accuratius cognoscendos viri docti studia contulerunt et Plautinas inprimis fabulas diligentius tractare coeperunt, quantum inde ad historiam linguae latinae rectius intellegendam profici possit multis atque praeclaris patefactum est documentis. Quod non solum valet de metricae ac prosodiacae verum etiam de syntacticae rei legibus eruendis. Itaque mihi quoque operae visum est pretium, si ex exemplis quae apud priscos scriptores latinos inveniuntur omnibus ablativi absoluti qui usus quaeque ratio sit primaria, quaererem atque exponerem, quoniam de hac structura viri doctissimi propterea inter se dissentire videantur, quod de ablativi absoluti apud posteriores scriptores usu diiudicare vix possumus nisi antea priorum temporum usus accurate perspectus sit.

Quaerentibus vero nobis originem structurae de qua agimus praefandum est absolute positum esse eum casum qui non a certa enuntiati parte regitur, sed libere atque absolute ad totum enuntiatum adnectitur. Ita absolute enim dativus in lingua latina ponitur, si distinctius rem

tractamus, quoniam hic casus compositae et structae orationi accedit.[1])

Sed absoluti casus notio ea etiam lege determinata est quod eiusmodi casus semper enuntiati vice fungi debet, ad quam rem significandam solus fere aptus erat ablativus in lingua latina. In quo quam varia elementa contineantur etiamsi iam Quintilianus instit. orat. I 4 intellexit, nostris demum temporibus comparativae grammaticae ope patefactum est hoc casu tres diversos linguae indogermanicae casus: ablativum instrumentalem locativum esse confusos. Atque ex comparatione ceterarum linguarum indogermanicarum ac praesertim sanscritae linguae certa dignosci potest ratione, quae constructiones in lingua latina propriae sint ablativi genuini, quae locativi, quae instrumentalis. Qua de re perspicue disseruit Delbrueckius in commentatione: „Ablativus Localis Instrumentalis im Altindischen, Lateinischen, Griechischen und Deutschen (Berlin 1867)."

Jam vero quaerentibus nobis ablativus absolutus utrum ablativus genuinus sit an localis an instrumentalis inprimis examinanda est ea quam Delbrueckius hac de re proposuit sententia. Videbat enim in lingua sanscrita localem casus absoluti vice fungi unde conclusit hunc localem absolutum in graeca lingua a genetivo, in latina a locativo qui postea in ablativum transierit exceptum esse. Dicit enim de latinis ablativis absolutis haec (l. l. p. 43): „Welche bedeutungen ganz in wegfall kommen, ist leicht einzusehen. Es sind die des eigentlichen ablativs. Es blieben also übrig der instrumentalis und localis. Den

---

[1]) cf. Rumpel, Casuslehre. (Halle 1845.) p. 260.

sinne nach würden vielleicht beide zu rechtfertigen sein. Der vergleich mit dem altindischen zeigt aber, dass auch im lateinischen die sogenannten abl. abs. zuerst loc. abs. waren, auf die später, als der localis und instrumentalis schon ein casus geworden waren, naturgemäss auch einiges vom instrumentalis überging."

Sed haec sententia maximis mihi videtur esse obnoxia dubitationibus. Primum enim Delbrueckius ipse concedit p. 43 locales absolutos in Rigvedae carminibus non ita crebro inveniri multaque exempla aliter explicari posse et extare tantum in formulis quibusdam sollemnibus. Itaque hac de causa ex lingua sanscrita de ceteris linguis parum videtur posse concludi, quamquam ipse huic argumento non nimis magnam vim tribuam, praesertim cum grammaticae comparativae cognitione non satis instructus sim. Multo maioris vero est momenti quod genetivus qui in graeca lingua absolute usurpatur non tam localis casus, in cuius locum dativus potius graecus successit, quam ablativi genuini vice fungitur unde per se fit verisimile ex analogia linguae graecae latinorum ablativum absolutum esse ablativum purum. Quod alio eoque certiori modo confirmari potest; nam si Delbrueckii sententia vera esset, apud antiquissimos Romanorum scriptores ablativorum absolutorum plurimi locali esse deberent natura. Recensentibus vero nobis exempla qnae apud priscae aetatis scriptores extant apparet ablativorum absolutorum qui plurimi in illorum scriptis leguntur ex nomine et participio perfecti passivi compositi plerosque puros ablativos temporales esse, quoniam enuntiatum *bello confecto id factum est* idem significat ac: *postquam bellum confectum est, id factum est.* atque dictum est pro: *illud factum est ex tempore*

illo quo bellum confectum est. Contra hanc argumentationem iure aliquis dicat ablativos puros ea significatione quam modo ablativorum absolutorum propriam esse diximus praeter ipsos illos absolutos raro inveniri apud scriptores latinos nisi addita praepositione, velut: „ex eo die quo in aedem telluris convocati sumus (Cic. Phil. I. 1,1).“ Attamen ablativi nudi usus non prorsus insolitus. Afferunt grammatici: „Quadriduo quo haec gesta sunt res ad Chrysogonum in castra L. Sullae defertur (Cic. pro Sex. Roscio Amer. 7,20); Tum vero barbari commoti, quod oppidum et natura loci et manu munitum paucis diebus quibus eo ventum erat expugnatum cognoverant (Caesar. bell. Gall. III. 23).“ Addi possunt Catull. 68,15:

Tempore quo primum vestis mihi tradita purast,
Jocundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi;

et vers. 25 eiusdem carminis:

Cuius ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia atque omnis delicias animi

quos locos mihi indicavit Kiesslingius summa qua semper erga me fuit humanitate. Praeterea ex Caesaris commentariis de bello gallico ad hanc rem quadrant[2]): IV 18: Diebus decem quibus materia coepta erat comportari, omni opere effecto, exercitus traducitur; V. 26: Diebus circiter XV quibus in hiberna ventum est initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige et Catuvolco.

Neque est quod exemplorum huius usus paucitatem miremur. Nam quo tempore ablativus et localis duo erant diversi casus, utriusque etiam proprius erat usus in tem-

[2]) cf. Fischer, die Rectionslehre bei Caesar, Halle 1853. 1854.

poris sine praepositione significatione; ablativus enim temporalis significabat spatium temporis quod ex actione quadam praeteriit, locativus autem tempus intra quod aliquid fit. Cum autem in localis usum succederet ablativus, id quod factum est ante illud tempus ex quo litterarum monumenta nobis suppetunt, ablativus nudus abhibebatur ad significandum locativum temporalem, cuius usus pro rei natura multo erat crebrior, temporalis autem ablativus genuinus praepositionis „ex“ vel „ab“ additamento ab illo discernebatur.

Plerique igitur ablativi absoluti ex participio perfecti compositi formantur puro ablativo temporali, cuius exempla apud Plautum Terentium Catonem ceterosque scriptores priscos quorum fragmenta tantum supersunt extantia hoc loco enumerare mihi liceat: [3])

Plaut. Men. 989: Sed metuo ne sero veniam depugnato proelio.

„ Pseud. 1269: Postquam opus meum, ut volui, omne pertravi hostibus fugatis,
Illos accubantis, potantis, amantis cum scortis reliqui.

„ Cistell. I. 3,14: Illa quam compresserat
Decumo post mense exacto hic peperit filium.

„ Bacch. 971: Nuuc alteris etiam ducentis usus est, capto Ilio
Qui dispensentur ut sit mulsum qui triumpat milites.

---

[3]) In indicandis locis adscribam Plautinos versus ex eis fabulis quas Ritschelius et Fleckeisenus ediderunt secundum eos numeros quibus illi viri usi sunt, Casinae autem et Epidici Poenulique secundum Gepperti, Aululariae secundum Wagneri, Truculenti secundum Spengelii editionem, in ceteris fabulis secundum actuum et scenarum descriptionem vulgatam. In Terentii comoediis adhibui Umpfenbachii editionis numeros. Catonem autem laudabo secundum Jordani (Lipsiae 1860) et Schneideri (scriptores rei rusticae tom. I. Lipsiae 1794) editiones, Ennium secundum Vahleni (Lipsiae 1854), ceteros poëtas scaenicos secundum Ribbeckii Scaenicae Romanorum poëseos fragmentorum editionem secundam.

His locis patet temporalis significatio ex additis particulis temporalibus velut *sero post postquam.* Tales particulae temporales quamquam desunt locis sequentibus, tamen de significatione temporali ambigi non potest propter verba ipsa quae in ablativi absoluti constructione extant et propter rerum connexum. Atque hi sunt:

Plaut. Trin. 701: Profugus patriam deseras,
Cognatos, affinitatem, amicos factis nuptiis.
„ Men. 469: Pallam ad phrygionem fert, confecto prandio,
Vinoque expoto, parasito excluso foras.
„ Pseud. 1028: Tum metuo ne erus redeat etiamdum a foro:
Ne capta praeda capti praedones fuant.
„ Stich. 81: Quid mihi opust decurso aetatis spatio cum meis
Gerere bellum quom nil quamobrem id faciam meruisse arbitror?
„ Merc. 92: His sic confectis navem soluimus.
„ Amphitr. 390: Non loquar nisi pace facta quando pugnis plus vales.
„ Rud. 581: Tibi ego nunquam credam quicquam nisi si accepto pignore.
„ Amphitr. 188: Victores victis hostibus reveniunt domum
Exstincto bello maximo atque internecatis hostibus.
ibid. 654: Edepol me uxcori exoptatum credo adventurum domum
Quae me amat quam contra amo praesertim re gesta bene
Victis hostibus quos nemo posse superari ratust.
„ Trin. 591: Di vostram fidem,
Edepol re gesta pessume gestam probe,
Si quidem ager nobis salvos est.
„ ibid. 1182: Bene re gesta salvos redeo.
„ Stich 402: Quom bene re gesta salvos convortor domum
Neptuno gratis habeo et tempestatibus.
„ ibid. 506: Ut mihi volup est quia vos video. Pamphile in patriam domum
Bene gesta re rediisse ambos temet et fratrem tuum.
„ ibid. 411: Quoniam bene gesta re rediisse me videt.
„ Trucul. II, 7, 58: Quid nunc ergo odio's confectis omnibus rebus tuis?[4])

---

[4]) Haec Spengelii coniectura pro codicum scriptura: „confessus omnibus teus“ probabilis videtur.

Plaut. Pers. 243: Fide data credamus.
„ Amphitr. 967: Tu gubernatorem ab navi huc evoca verbis meis
Blepharonem is uti re divina facta mecum prandeat.
„ Aulul. 776: LI: Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi
EV: Repudium, rebus paratis, exornatis nuptiis?
„ Epid. 678: Nil vero obnoxiosum: P. Facto opere arbitramino.
„ Amphitr. 642: Sed hoc me beat saltem quoniam ille vicit
Perduellis et domum laudis compos revenit.
Apsit, dum modo laude parta domum se
Recipiat.
„ Capt. 80: Item parasiti rebus prolatis latent
In oculto miseri victitant sucu suo
Dum ruri rurant homines quos ligurriant
Prolatis rebus parasiti venatici
Canes sumus.
„ Trucul. II 1, 25: Probust amator qui relictis rebus rem perdit suam.
„ Cistell. I 1, 6: ita omnibus relictis rebus
Mihi frequentem operam dedistis.
„ Epid. 590: Ego relictis rebus Epidicum operam quaerendo dabo.
„ Trucul. I 1, 56: Postremo in magno populo, in multis hominibus
Re placida atque otiosa victis hostibus
Amare oportet omnes qui quod dent habent.
„ Pers. 753: Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis
Bello exstincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis,
Quom nos, Juppiter, iuvisti dique alii omnes caelipotentes
Ea re vobis gratis habeo atque ago qui probe inimicum sum ultus.[5])

Huc pertineret etiam Plauti Pseud. 260:

Mortua verba re nunc facis;

sed versus 259 squ. cum propter locutiones insolitas quae in iis continentur suspecti sunt tum propter numeros qui

---

[5]) Ex locis antea allatis (Plauti Trin. 591. 1182. Amphitr. 654. Stich. 402. 506. 411.) elucet adverbia *bene* et *pessume* apud Plautum extra formulam *re gesta* posita esse quare hoc quoque loco scribendum videtur *bene re gesta*.

vix ad Plautinam artem redigi possunt, sic ut Lorenzius (Philol. XXXV, 164) mihi persuaserit illos versus a Plauto esse abiudicandos.

Omnibus his locis agnoscere mihi videor ablativum genuinum temporalem; restant autem exempla aliquot de quibus quid statuam dubito.

Plaut. Mil. 1: Curate ut splendor meo sit clupeo clarior
Quam solis radii esse olim, quom sudumst, solent:
Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
Praestringat oculorum aciem in acie hostibus.[6])

„ Bacch. 1070: Salute nostra atque capta urbe per dolum
Domum reduco iam integrum omnem exercitum.

„ Pseud. 1033: Cor colligatis vasis exspectat meum
Si non educat mulierem mecum simul
Ut exolatum ex pectore confugiat meo.

„ Poen. 514: Servuli esse duco festinantem currere
Praesertim re populi placida atque interfectis hostibus
Non decet tumultuari.

„ Amphitr. 366: Nae tu istic malo tuo compositis mendaciis
Advenisti, audaciae columen, consutis dolis
Qui argento circumvortant?[7])

„ Casin. 248: Nunc nos collatis signis depugnabimus.

His enim locis cogitari potest et de ablativo temporis et de ablativo modi; neque mirum esset, si sub ablativorum absolutorum specie apud Plautum ablativi quoque modi repperirentur exempla. Is enim pertinet ad instrumentalem qui multo prius in ablativum transiit locativo. Equidem etiam in his locis ablativum temporalem agnosco, quoniam post captam urbem demum exercitus integer domum reduci potest ac pariter manus conserenda est ante-

---

[6]) Extremum horum versuum sic cum Buechelero (Latein Declin. p. 48) scribendum verisimillimum puto, ubi hiatus non extat quoniam finiens littera d casus ablativi si non scribebatur, tamen certo pronuntiabatur.

[7]) Sic scribendus est hic versus cum libris et Fleckeiseno auctore loco praecedente.

quam oculorum acies hostibus praestringi potest; neque alia ratione explicandi videntur omnes loci de quibus agitur. Sed sive ablativum sive instrumentalem statuimus his locis, Delbrueckii sententiae ex hoc genere ablativorum absolutorum nullum apud Plautum opitulatur exemplum. Atque idem statuendum est de Terentio qui haec exempla praebet.

Terent. Adelph 286: Ego iam transacta re convertam me domum cum obsonio.

„ Andr. 180: Id voluit nos sic nec opinantis duci falso gaudio
Sperantes iam amoto metu, interea oscitantis opprimi
Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.

„ Adelph 859: Quod nunc mi evenit: nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc
Prope decurso spatio omitto. [8])

„ Hecyr. 589: Illius stultitia victa ex urbe tu rus habitatum migres?

„ Eun. 53: Infecta pace ultra ad eam venies.

„ Adelph. 870: Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab eis fero,
Odium, ille alter sine labore patria potitur commoda.

---

[8]) Codices hoc loco praebent scripturam: *iam excurso spatio* quae mihi valde suspecta est. Primum enim Priscianus quinquies (I p. 375 378. 562. II p. 230. 269) ex Terentio affert: *decurso spatio*, etiamsi quatuor locis: *decurso iam spatio*, neque praeter nostrum locum simile quicquam quo Priscianus spectare potuerit apud Terentium legitur. Tum *excurrere* nusquam nisi hoc loco transitive adhibetur, *decurrere* autem a Plauto (Stich 81) Pacuvio (vers. 347) Lucretio (III 1040) Cicerone (pro Quintio 31) aliis transitive usurpatur, praesertim coniunctum cum *vita* in locutione: *vitam* aut *vitae spatium decurrere*. Praeterea Donatus interpretatur his verbis: „ad calcem et prope ipsos decursus metasque vivendi et est metaphora sumpta a cursoribus“ unde elucet Donatum etiam *decurso spatio* legisse. Itaque corruptelam hoc loco extare puto cum Bentleio et versum scribendum: *Prope decurso spatio omitto.* Atque corruptela quidem inde orta est quod primum errore *iam* in libros irrepsit et tum versus rationi metricae resistens correctus est.

„ Eun. 762: Malo ego nos prospicere quam hunc ulcisci accepta iniuria.

„ Andr. 923: Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum eiectus est
Et istaec una parva virgo.

„ Adelph 773: In ipsa turba atque in peccato maximo
Quod vix sedatum satis est, potasti, scelus,
Quasi re bene gesta.[9])

„ Eun. 165: Nonne ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam relictis rebus omnibus
Quaesivi?

„ Andr. 412: Erus me relictis rebus iussit Pamphilum
Hodie observare quid ageret de nuptiis.[10])

„ Heaut. 840: Mihi nunc relictis rebus inveniundus est
Aliquis labore inventa mea cui dem bona.

„ Hecyr. 94: Nam illi haut licebat nisi praefinito loqui
Quae illi placerent.

„ ibid. 737: Nam ea aetate iam sum ut non siet peccato mi ignosci aequom.

Nunc vero transeamus ad recensendos locos ceterorum priscorum scriptorum. Praefari autem mihi liceat me non ascribere eos locos qui non verbo tenus traditi aut ita traditi sunt ut de sententia totius versus certi nil concludi possit velut apud Servium ad Aen. I 269: Cato ait triginta annis expletis eum Albam condidisse, aut apud Livium XXXIV 9: Cato redemptoribus vetitis frumentum parare ac Romam dimissis bellum, inquit, se ipsum alet. Pariter puto cum Madvigio in versibus Pacuvianis apud Ciceronem, de finibus V 11, 31 servatis:

---

[9]) Hoc loco recte se habet *potasti* quod libri omnes praebent praeter Bembinum qui a prima manu *potis* habet unde nihil concludi potest. Priscianus qui *potastis* oratorie scriptum refert in libro suo incipientem litteram s vocabuli *scelus* duplicatam legit.

[10]) Versus qui sequitur:
Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor
cum Fleckeiseno omittendus est quia prorsus supervacaneus est additaque demum coniunctione *ut* servari potest.

quin etiam ferae
Quibus abest ad praecavendum intellegendi astutia
Iniecto terrore mortis horrescunt

ablativum absolutum non esse Pacuvianum, sed contractam in brevius Pacuvii sententiam exhiberi a Cicerone.

Exempla autem quae vere ad quaestionem nostram pertinent sunt haec:

Cato Orig. IV 7 (Jordan p. 18): tunc interea occupatis in ea caede hostibus tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis.[11])

id. Orig. V 7: Postridie signis collatis aequo fronte peditatu equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnavimus.

id. Orat. LXXIII: Sed tum ubi ii dimissi sunt, revertantur resignatis vectigalibus.

id. de re militari fragm. 2: Ut populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat.

id. de re rustica CXXXII 3: Postea dape facta serito milium, panicum, alium, lentim.

Ennius Annal. VI 219: Ut primum tenebris abiectis indalbabat.

id. tragved. vers. 176 (Vahlen. 242): Juppiter tibi summe tandem male re gesta gratulor.

id. tragoed. 309 (413): Neque sepulcrum quo recipiat habeat portum corporis
Ubi remissa humana vita corpus requiescat malis

id. trag. 18 (40): Animam misso sangui tepido tullii efflantes volant

Pacuvius 186: Currum liquit: clamide contorta astu clupeat braccium.

„ 293: Tamen offirmatod animo mitescit metus.

„ 347: Pastor
Exorto iubare, noctis decurso itinere.

Attius vers. 689: recte perfectis sacris
Volt accipi.

---

[11]) Haec Catonis ipsius verba esse elucet ex Gellio III 7, 1 qui ex Catonis Originum libr. IV nonnulla rettulit et his verbis disputationem finivit: „sed quod illi tribuno duci militum quadringentorum divinitus in eo proelio usus venit, non iam nostris sed ipsius Catonis verbis subiecimus.“ Exemplum autem quod antea ascripsimus ex tribuni illius oratione sumptum est.

Ex incertis incertorum fabulis vers. 80: Qua tempestate Helenam
Paris innuptis iunxit nuptiis
Ego tum gravida expletis iam fere ad pariendum
mensibus
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu post-
remo parit.

Naevius Praetext fragm. II: Vita insepulta laetus in patriam redux.

Statius Caecilius 9: Nam ego
Duabus vigiliis transactis duco desubito domum.

„ 234: cur illecebris cognitis
Non . . . refugisti?

Turpilius 92: Habes potestatém. — ubi potestatem? — senis
Pretio contendas ut redempto Faedria
Liceat redire antiquam in consuetudinem.

Praeterea huc quadrat antiquissimum ablativi absoluti exemplum in Legis duodecim tabularum reliquiis (Schoell, Legis duodecim tabularum reliquiae, p. 122);

Aeris confessi rebusque iure iudicatis XXX dies iusti sunto.

Schoellius (l. l. p. 106) dubitat num ablativum absolutum incomptae decemvirum aetati imputare liceat; sed cum aetate Plautina ablativi absoluti usus minime sit infrequens, mirum non est iam ex decemvirum aetate unum referri exemplum, idque compositum cum participio perfecti passivi unde ablativum absolutum ortum postea videbimus. Praeterea Schoellius qua ratione verba legis restituere vult: „Aeris confessi iudicatis XXX dies iusti sunto“ iuri Romano repugnat, quia confessus iudicari non potest in iure Romano.[12])

Haec omnia exempla quae apud antiquissimos Romanorum scriptores inveniuntur composita ex participio perfecti passivi et nomine, et Delbrueckii sententiae prorsus repugnant quoniam in iis Locativi ne vestigium quidem extat et nostram confirmant sententiam qua ablativum absolutum profectum esse ab ablativo genuino statuimus,

[12]) cf. Bruns, fontes iuris Romani antiqui p. 17.

siquidem mea sententia omnibus his locis temporalis ablativus genuinus agnoscendus est.

Attamen aliud ablativorum absolutorum genus magis Delbrueckii sententiae patrocinari videtur, scilicet ei qui compositi sunt ex participio praesentis verborum *praeesse* et *abesse* et substantivo sive pronomine. In his enim is ablativus temporalis qui ex locativo ortus est locum habere videtur, quoniam locativus temporalis significat tempus intra quod aliquid fit. Quod tamen probare nequeo cum mea quidem sententia temporis significatio illorum ablativorum absolutorum insit in ipsorum verborum *abesse* et *praeesse* notione, minime vero in ablativi absoluti constructione, qua potius pariter atque in ceteris ablativis absolutis cum participiis praesentis compositis actio secundaria significatur quae sine temporali notione actionem primariam accuratius definit. Atque eiusmodi quidem exempla haec apud priscos scriptores latinos extant:

Plaut. Mastell. 1164: Immo me praesente amato, bibito, facito quod lubet.

„ ibid. 564: Jam illo praesente adibit.

„ Casin. 319: Nam praesente hoc plura verba fieri non desidero

„ Asin. 455: ME Sic potius ut Demaeneto tibi ero praesente reddam.
LI. Erus istunc novit atque erum hic. ME. Ero praesente reddam.

„ Pseud. 125: Nunc nequis dictum sibi neget, dico omnibus,
Pube praesente in contione, omni poplo,
Omnibus amicis notisque edico meis.[13])

[13]) Hoc loco traditam scripturam: *pube praesenti* retinent editores dativum statuentes; quodsi ita esset, aut *pube praesenti* aut *omni poplo* supervacaneum esset, quoniam duae locutiones idem significant. Adiuvat antem nos in emendando hoc versu Paulus, in epitoma Festi, adnotans: „pube praesente est populo praesente, συνεκδοχικῶς ab his qui puberes sunt omnem populum significans.“ Itaque *pube praesente* scribendum et ablativum absolutum statuendum Kiesslingius in scholis de Plauti Pseudulo habitis mihi persuasit.

Plaut. Asin. 647: Vin faciam ut te Philenium praesente hoc amplexetur.
„ Curcul. 32: Quod amas amato testibus praesentibus.
„ ibid. 434: Quod te praesente isti egi teque interprete.
„ Bacch. 263: Eo praesente homini extemplo ostendit sumbolum.
„ Poen. 369: Mene ego praesente illaec patiar dici?
„ Stich. 538: Priusquam abis praesente ted huic apologum agere unum volo.
„ Curcul. 711: CA. Nego hercle vero: quo praesente? quo in loco?
TH. Me ipso praesente et Lucone tarpessita.
CA. Non taces?
TH. Non taceo. CA. Non ego te flocci facio: ne me territes,
TH. Me ipso praesente et Lucone factumst. PH Satis credo tibi.
„ Bacch. 301: Auferimus aurum omne illim illis praesentibus.[14])
„ ibid. 335: NI. Sed qui praesente id aurum Theotimo datumst?
CH. Populo praesente: nullust Ephesi quin sciat.
„ ibid. 482: Quom manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi
Me praesente neque pudere quicquam.
„ Amphitr. 749: Me quidem praesente nunquam factum est quod sciam.
„ Rud. 112: Peculiosum esse addecet servum adprobe
Quem ero praesente hau praetereat oratio.
Terent. Eun. 1058: Si efficio hoc, postulo ut mihi tua domus
Te praesente absente pateat, invocato ut sit locus semper.
„ Heaut. 1041: Pudet
Dicere hac praesente verbum turpe.
„ Hecyr. 674: Nam cogis ea quae nolo ut praesente hoc loquar
„ ibid. 712: Id ego hoc praesente tibi nolueram dicere.
Afranius 310: Noli, mea mater, me praesente cum patre
Coicere.
Plaut. Trin. 167: Me absente atque insciente, inconsultu meo
Aedis venalis hasce inscribit litteris.[15])

---

[14]) Hermanni coniectura in hoc versu: *illis ibi praesentibus* reicienda est quoniam ad participia verborum *praeesse* et *abesse* nunquam adverbia locali natura adiciuntur.

[15]) Diverso modo vocabulum *absente* in editionibus scriptum invenitur. Apud Ritschelium *apsente* bis legitur Trin. 167 et Men. 627 ubi altero loco cod. B., altero cod. C *apsente* praebet, ceteri autem

Plaut. Mostell. 1139: Fateor potavisse, amicum liberasse absente te
„ Men. 492: Fecisti funus med absente prandio.
„ ibid. 627: Sic datur: properato absente me comesse prandium.
„ Mosell. 1016: Quod me absente tecum hic filius
Negoti gessit.[16])
„ Mil. 865: Quaeso tamen, tu partem meam, infortunium
Si dividetur, me absente accipito tamen.[17])
„ Men. 967: Procurat videt collocat cogitatque
Ut absente ero rem sui eri diligenter
Tutetur quam si ipse adsit aut rectius.
„ Mil. 1006: Tum haec celocula illa absente subigit me ut amem.[18])
„ Trucul. II 4, 32: Sed quod ego facinus audivi adveniens tuom
Quod tu hic me absente negoti gesseris?
„ Asin. 500: Etiam nunc Periphanes Rhodo mercator dives
Absente ero solus mihi talentum argenti soli adnumeravit.
„ ibid. 583: Nimis aegre risu me continui ubi hospitem inclamavit
Quod sese absente mihi fidem habere noluisset.
„ Stich 525: Nam ita me absente familiarem rem uxor curavit meam.
„ ibid. 131: Aut nunc non aequomst abdlusi, pater, illisce absentibus.

---

codices *absente.* Ac ceteris locis sine varietate a codicibus *absente* traditum et a Ritschelio in ordinem verborum receptum est. Quam rationem etiam Brixius secutus est. Pariter in Terentii editione Umpfenbachiana Eun 1058 et Hecyr. 269 *apsente* invenitnr quorum altero loco codd. A et C *apsente* praebent, altero loco varietas scripturae non indicata est. Fleckeisenus autem qua ratione usus sit intellegere non possum; scripsit enim omnibus locis Plautinis *apsente* praeter Amphitr. 826, apud Terentium semper *absente.* Res ipsa quia difficile disceptari potest, equidem constanti ratione scripsi *absente.*

[16]) *Hic* quod praebent codices cum a Plautini sermonis consuetudine non abhorreat (cf. Trucul. II 4, 32, Amphitr. 825. Aulul. 424) transponendum et Pyladis scriptura recipienda est:

Quod me absente hic tecum filius
Negoti gessit

quia adverbium *hic* coniunctissime ad ablativum absolutum adnecti his versibus docetur: Epid. 60; Trucul. II 4, 32: Terent. Heaut. 2, 30; Phorom. 258. 449.)

[17]) Nullam causam video cur traditam scripturam non sequamur.

[18]) Sic Brixius versum corruptissime traditum satis apte restituit.

Plaut. Amphitr. 811: Quia pudicitiae huius vitium me hic absente est additum.
„ ibid. 826: Amphitruo alius te qui absente hic munus fungatur tuum.
„ Cistell. I 1, 110: Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter eum inclamare.
„ Aulul. 424: Sed in aedibus quid tibi meisnam erat negoti
Me absente nisi ego iusseram?
„ ibid. 98: Profecto in aedes meas me absente neminem
Volo intromitti.
„ Epid. 60: Nescio edepol quid tu timidus trepidas, Epidice, ut voltum tuum
Video, videre commeruisse hic me absente in te aliquid mali.
Terent. Heaut. 231: Sed vereor ne mulier me absente hic corrupta sit.
„ ibid. 279: Hic sciri potuit aut nusquam alibi, Clinia.
Quo studio vitam suam te absente exegerit.
„ Phorm. 258: Bonas me absente hic confecistis nuptias.
„ ibid. 450: quod te absente hic filius
Egit restitui in integrum aequom est et bonum.
„ ibid. 577: Quid gnato obtigerit me absente, audisti Chremes?
„ Hecyr. 268: Sancte adiurat
Non posse aput vos Pamphilo se absente perdurare.

Liceat his exemplis addere eos ablativos absolutos qui cum participiis praesentis aliorum verborum compositi sunt et temporalem significationem omnino non habent cum simpliciter res actionem primariam quasi comitantes denotent: Atque eiusmodi haec extant exempla:

Plaut. Mil. 144: Et sene sciente hoc feci; is consilium dedit.
„ ibid. 558: Ratun es sic me hominem esse omnium minumi preti
Ut ego me sciente paterer vicino meo
Eam fieri aput me tam insignite iniuriam?[19])
„ Asin. 851: Ain tu meum virum potare hic obsecro cum filio
Et ad amicam detulisse argenti viginti minas
Meoque filio sciente id facere flagitium patrem?
„ Men. 272: Cape atque serva me lubente feceris.

---

[19]) Sic in primo horum versuum scriptura codicum qui *ratusne istic me hominem esse* praebent a Muellero (prosod. Plautin p. 136) ad verum redacta videtur.

Plaut. Stich. 474: Lubente me hercle facies.
„ Trucul. II 4. 9: Phr. Ubi cenabis? Di. ubi tu iusseris.
Phr. Hic: me lubente facies. Di. Edepol me magis.[20])
„ Curcul. 665: Verum hercle dicit: me lubente feceris.
„ Amphitr. 848: Edepol me lubente feceris.
„ ibid. 747: Egone istuc dixi? AL. tute istic etiam astante hoc Sosia.
„ ibid. 998: Jam hic deludetur vobis inspectantibus.
„ Poen. 315: Nam vigilante Venere si veniant.
Terentii Eun. 956: Colligavit? PV. Atque quidem orante ut ne id faceret Thaide.
„ Heaut. 912: Quemquamne animo tam comi esse aut leni putas
Qui se vidente amicam patiatur suam?
„ Hecyr. 830: Eum haec cognovit Myrrhina in digito me habente.[21])
Plaut. Trin. 166: Me absente atque insciente inconsultu meo.
Terentii Andr. 603: Feci hodie ut fierent insperante hoc atque invito Pamphilo.
„ Adelph. 507: Non me indicente haec fiunt.[22])

Cato Orat. IX 6: ubi societas? ubi fides maiorum? insignitas iniurias plagas verbera vibices eos dolores atque carnificinas per dedecus atque maximam contumeliam inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus te facere ausum esse!
idem de re rustica V 4: Ne quid emisse velit insciente domino.
Ennius Annal. 508: Cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit
Et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit.
Pacuvius 411: Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare.
Ennius tragoed. 57 (Vahlen 94): O lux Troiae, germane Hector!
Quid ita . . . cum tuo lacerato corpore

---

[20]) His tribus locis codices inter *iubente* et *lubente* variant, quoniam litterae i et l vix dignosci possunt. Attamen dubium non est quid scribendum sit. Primo enim loco verbum *iubere* non quadrat quia servus nihil imperare potest domino. Nec magis quadrat altero loco quo agitur de invitatione ad cenam. Denique quod attinet ad tertium locum, Phronesium dicere posset et: *me iubente facies* et: *me lubente facies* sed scribendum est *lubente* propter sequentia verba *edepol me magis* ad quae nihil aliud suppleri potest.

[21]) Summo iure hoc loco Bentleius *habentem* librorum mutavit in *habente* quia refert anulum cognosci.

[22]) Tres extremi loci ideo minus huc quadrare videntur quod participia *sciens sperans dicens* ob compositionem cum privativo *in* adiectivorum negativorum notionem induerunt. Idem de Terent. Eun. 53: *infecta pace* statuendum est.

Miser aut qui te sic tractavere nobis inspectantibus.[23])

Quinctius Atta 23: tum germanas meas
Vespera oriente clanculum ferri ad specum.

Neque magis pro Delbrueckii sententia facere videntur ei ablativi absoluti, qui ex adiectivo et substantivo sive pronomine constant. In his enim temporis significatio ex loci notione orta omnino non inest. Nisi excipias ablativos *me vivo* et similia, quamquam ibi temporis significatio posita est in vocabulorum *vivus* etc. notione minimeque oritur ex ablativi qui usurpatur natura. Reliquis eius structurae exemplis simpliciter res actionem primariam. comitantes et accuratius adumbrantes significantur. Sunt autem haec:

Plauti Mostell. 229: Si quidem hercle vendundust pater, vaenibit multo potius
Quam te me vivo unquam sinam egere aut mendicare.

„ Casin 305: Patiundum est siquidem me vivo uxor mea imperium exhibet.

„ Stich. 132: Vosne ego patiar cum mendicis nuptas me vivo viris?

„ Bacch. 419: Non sino neque equidem illum me vivo corrumpi sinam.

Terentii Heaut. 102: Cotidie accusabam: hem tibine haec diutius
Licere speras facere me vivo patre?

„ Phorm. 302: Dixisti pulchre: siquidem quisquam crederet
Te vivo.

„ Hecyr. 60: Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi.
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum.

---

[23]) In versu extremo codices praebent: *respectantibus;* postulatur autem rerum connexu verbum simplici significatione inspiciendi. Cuiusmodi verbum est *inspectare* quod apud antiquissimos Romanorum scriptores creberrime invenitur (Plaut. Mil. 174. Rud. 869) et in ipsa structura ablativi absoluti Plaut. Amphitr. 998 et Cato Orat. IX 6; confer etiam Cic. de fin. I 9. 53 et VI 18, 3. Idem verbum etiam nostro loco recipiendum est.

Terentii ibid. 98: quod ego nunquam credidi
Fore ut ille hac viva posset animum inducere
Uxorem habere.

Plauti Mostell. 562: Ne ego sum miser, scelestus, natus dis inimicis omnibus.

„ Mil. 314: Quis magis dis inimicis natus quam tu atque iratis?

Terentii Phorm. 74: Memini relinqui me, deo irato meo.

Naevius 70: Visam. deo meo propitio meus homo est.

Plauti Mil. 321: Mirumst lolio victitare te tam vili tritico.

Cato de re rust. CXII 1: Vinum Coum si voles facere, aquam ex alto marinam sumito, mari tranquillo, cum ventus non erit, dies LXX ante vindemiam quo aqua dulcis non perveniet.

Cato de re rust. LXI 2: Si quis quaerat quod tempus oleae serendae siet, agro sicco per sementim, agro laeto per ver.

Statius Caecilius 145: qui sapit de me discet
Qui quasi ad hostis captus liber servio salva urbe atque arce.[24])

Terentii Eun. 256: Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores
Quibus et re salva et perdita profueram et prosum saepe.

Plauti Pseud. 237: In rem quod sit praevortaris, quam re advorsa animo auscultes.

„ Trin. 1014: Recipe et recurre petere re recenti.

„ Poen. 719: Quid si recenti re aedes pultem.

Terentii Phorm. 789: nam ex eis praediis tatenta argenti bina
Statim capiebat: vir viro quid praestat. DE. Binan quaeso?
NA. Ac rebus vilioribus multo talenta biná.

Plauti Trin. 374: Soror illist adulta virgo grandis: eam cupio, pater,
Ducere uxorem sine dote. PH. Sine dote uxoremne? LV. Ita
Tua re salva. Hoc pacto ab illo summam inibis gratiam.

Cato, Orig. V 1: Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere.

Ennius tragoed. 4 (Vahlen 12): Quo nunc incerta re atque inorata gradum
Regredere conare?

---

[24]) Hic addenda quae supra adscripsi: Plauti Trucul. I 1, 15 et Pers. 753.

Attius 359: Re dubia
Haut dubitarit vitam offerre nec capiti pepercerit.
Plauti Cas. 210: Quin si tu nobis filiusque etiam tuos
Vobis invitis atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.
„ Capt. 739: Quor ego te invito me esse salvom postulem?
„ Aulul. 737: Quid tibi ergo meam me invito tactio est?
„ ibid. 749: Eucl. Tun habeas me invito meam?
Ly. Haud te invito postulo; sed meam esse oportere arbitror.
„ Amph. 662: Atque vi id se volt experiri suum abitum ut desiderem?
Ecastor med haud invita se domum recipit suam.
„ Epid. 569: Ne fuat
Si non volt: equidem hac invita matris filia ero tamen.
„ Rud. 711: Jus meum ereptumst mihi:
Meas mihi ancillas invito me eripis.
„ ibid. 783: Meas quidem ted invito et Venere et summo Jove,
De ara capillo iam deripiam.
„ ibid. 795: Minas ego istas flocci non facio tuas:
Equidem eas te invito iam ambas rapiam.
„ Poen. 1196: Nos fore domino nostro invito diebus paucis liberas.
Terentii Andr. 603: Feci hodie ut fierent insperante hoc atque invito Pamphilo.
„ ibid. 891: Domus, uxor, liberi inventi invito patre.
„ Heaut. 794: Num iussi? Num illa oppignerare filiam
Meam me invito potuit?
„ Adelph. 157: Quid respectas? nihil periclist: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
SA. Ego istam invitis omnibus.
„ ibid. 198: Domo me eripuit, verberavit: me invito abduxit meam.

Postremo denique loco enumerabimus eos ablativos absolutos qui compositi sunt ex pronomine et substantivo plerumque verbali: omnes, si excipias formulam *L. Caecilio Q. Mucio consulibus* quae primum in sententia Minuciorum anni 637 (C. I. L. 199) reperitur, aut ex instrumentali ablativi usu repetendi sunt aut secundariam actionem qua primaria accuratius definitur significant:

Plauti Mostell. 916: Me suasore atque impulsore id factum audacter dicito.
„ Pers. 597: Ne temere hanc te emisse dicas me impulsore aut inlice
Volo te percontari.
Terentii Eun. 998: Ere, ne me spectes: me impulsore haec non facit.
„ Adelph. 560: Me impulsore hanc emptam esse ait.
Plauti Stich. 602: Non me quidem
Faciet auctore hodie ut illum decipiat.
Terentii Eun. 1013: An poenitebat flagiti, te auctore quod fecisset
Adulescens ni miserum insuper etiam patri indicares?
Plauti Trin. 13: Is rem paternam me adiutrice perdidit.
„ Curcul. 434: Quod te praesente isti egi teque interprete.
„ Trin. 1161: Impetrabit te advocato atque arbitro.
„ Pers. 580: Atqui aut hoc emptore vendes pulchre aut alio non potest.
Terentii Hecyr. 253: siquid est peccatum a nobis, profer
Aut ea refellendo aut purgando vobis corrigemus
Te iudice ipso.
„ Heaut. 969: Satius est quam te ipso herede haec possidere Bacchidem.

Cato Orat. LXIII: C. Licinio praetore remiges scribti cives Romani sub portisculum, sub flagrum conscribti veniere passim.
Aquilius 4: Nam unum me puero venter erat solarium
Multo omnium istorum optumum et verissimum.
Afranius 4: Me auctore, mater abstinebis quid nisi?

Jam vero consideratis omnibus ablativi absoluti quae apud priscos scriptores latinos extant exemplis apparet quam infirmis nixa sit Delbrueckii sententia argumentis. Repugnant ei omnes ablativi absoluti ex participio perfecti passivi compositi qui antiquissimi videntur esse, siquidem eorum exempla plurima et ex verbis diversissimis formata inveniuntur. Alia vero genera ablativorum absolutorum constant plerumque aut ex formulis quibusdam artis velut ex participiis *absens* et *praesens* et ex adiectivis *vivus* et *invitus* compositis, aut composita sunt cum participiis praesentis: *sciens, lubens, astans, inspectans, vigilans,*

orans, videns, habens, insperans, indicens, periens, 'occidens, oriens et adiectivis: *inimicus, iratus, propitius, vilis, tranquillus, siccus, laetus, salvus, integer, otiosus, placidus, advorsus, recens, secundus, prolixus, dubius,* quae cum multo rarius ad ablativorum absolutorum coustructionem adhibita sint, propter id ipsum recentiora esse videntur. Quae cum ita sint neque Delbrueckii explicandi ratione quidquam proficere posse videmur neque in universum, nisi fallor, a linguarum comparatione si quidem in casuum absolutorum usu unaquaeque lingua proprias rationes secuta esse videtur.

Itaque si explicare volumus originem structurae ablativi absoluti proficiscendum est a lingua latina ipsa et ab exemplis huius structurae quae apud antiquissimos Romanorum scriptores inveniuntur. Principio autem tenendum est ablativum absolutum nihil aliud fuisse nisi casum artiore quodam vinculo cum enuntiato iunctum, sicut id de omnibus casibus statuendum est. Quomodo vero et quando primum factum sit ut ablativus is de quo agitur vere absoluta et libera ratione ad structam orationem ita adderetur, ut secundarii fungeretur enuntiati munere, id distinctius perspici atque certa disceptari ratione nequit. Suspicari tantummodo licet, quod reliquorum casuum usus iam certis finibus circumscriptus esset, nempe genetivi ut nominibus, dativi et accusativi ut praedicatis explicationes adicerentur atque hae enuntiati partes accuratius adumbrarentur, facile fieri potuisse ut ablativus purus quippe qui solus restaret atque ad totum enuntiatum spectaret adhiberetur ad structuram absolutam quae secundarii enuntiati vim haberet conformandam. Si vero enuntiatum aliquod constans ex subiecto et praedicato in casus absoluti

formam cogitur, non solum subiectum recipere debet casus formam sed praedicatum etiam, quod cum verbum esse soleat, nominalem naturam induere atque in participium transire debet. Itaque antiquissimi atque legitimi ablativi ei esse videntur qui cum participio perfecti passivi formantur, id quod etiam ex exemplorum antea allatorum multitudine et ex expolito huius generis apud recentiores usu apparet; velut Plauti Men. 991: *Sed metuo ne sero veniam depugnato proelio* dictum est pro: *Sed metuo ne sero veniam ex eo tempore quo proelium depugnatum est.* Quamquam in hac structura non statim prorsus absolute ablativus purus usurpatus esse videtur. Immo paullatim demum, etsi iam ante Plautinam aetatem, eo progressi sunt ut in enuntiato: *Sed metuo ne sero veniam depugnato proelio* genuinus ille ablativus *depugnato proelio* videretur secundarii enuntiati vice fungi, quoniam *depugnato proelio* idem significat ac *postquam proelium depugnatum est.* Sic ex ablativo simplici paullatim ablativus absolutus pro enuntiato locum habens factus esse videtur. Tum demum eadem constructio ad ceteras enuntiatorum formas transferri potuit, in quibus iam nullum extat vestigium genuini ablativi temporalis ex quo ablativus absolutus profectus est. Ac primum quidem per se huic usui apta erant alia participia et praecipue participia praesentis, quae propterea iam apud priscos scriptores latinos creberrime inveniuntur, etiamsi maxime in formulis quibusdam certis adhibentur. Qua in re origo constructionis etiam sic respiciebatur, ut illa participia praesentis saepissime usurparentur, in quibus iam per se temporalis inesset significatio, *praesens* videlicet et *absens.* Sed etiam alia participia praesentis extant quae significatione temporis carent, velut: *me lubente*

feceris, unde elucet iam apud Plautum constructionem vere factam esse absolutam. Porro sicut ex enuntiato: *cum proelium depugnatum esset* orta est locutio: *proelio depugnato,* sic pariter ex enuntiato: *cum ego vivus essem* ortum est *me vivo,* neque ullo modo probabile videtur in talibus locutionibus supplendum esse participium verbi substantivi *esse.* Ad quam sententiam grammatici perducti sunt grammaticae graecae analogia falsa, in qua si praedicatum aut substantivum vel adiectivum praeter *ἑκών* et *ἄκων* coniunctum est cum copula *ἐστί,* copula *ὤν* in genetivi absoluti constructione non deest, velut *παίδων ἡμῶν ὄντων.* Sed inde nihil colligi potest quod quaeque lingua in his rebus proprias sequitur rationes et graeca lingua omnino abundat participiis. Ablativorum autem absolutorum in quibus adiectivum praedicati vice fungitur plerique significationem temporalem prorsus exuerunt, sic ut simpliciter pro enuntiatis relativis positi sint, in qua re iam vere absolutum ablativi usum adgnoscere possumus. Denique ut ex enuntiato: *cum ego vivus essem* factum est: *me vivo,* pariter ex enuntiato: *cum Cicero consul esset* constructio facta est: *Cicerone consule.* Sed apud antiquissimos Romanorum scriptores sicut ex paucitate exemplorum quae supra attuli apparet, hoc genus ablativorum absolutorum minus excultum est si magnum reliquorum ablativorum absolutorum numerum contuleris, unde nascentem et crescentem usum structurae ablativi absoluti apud antiquissimos Romanorum scriptores intellegere possumus. Id vero ex tota nostra disputatione elucet iam Plauti et Terentii temporibus vere absolutam structuram fuisse.

Etiam participii futuri passivi absolute positi exempla in grammaticorum libris afferuntur. Per se quidem quam-

quam certe probabile est postquam cetera participia ad ablativi absoluti structuram adhibita sunt etiam participium futuri passivi fieri eiusdem structurae particeps, tamen perraro participium illud tali modi adhiberi poterit nec videtur extare exemplum certum. Nam loci qui afferuntur ex Plauto

Men. 883: Lumbi sedendo mi, oculi spectando dolent
Manendo medicum dum se ex opere recipiat

Pers. 5: Ita fio miser quaerundo argento mutuo

sunt simplices ablativi instrumentales neque ullo modo his locis de ablativo absoluto cogitari potest. Itaque recentissimus huius rei tractator Krause in dissertatione de Gerundii et Gerundivi apud antiquissimos Romanorum scriptores usu (Halis Saxonum 1875) ea exempla omisit ubi de absoluto Gerundii et Gerundivi usu disseruit. Si vero fidem habemus huic viro docto, apud Terentium unum exemplum extat:

Andr. 937: Vix sum apud me, ita animus commotust metu
Spe gaudio, mirando hoc tanto tam repentino bono

quod iam Donatus ita explicavit ut significet: *dum miror*. Sed hic locus mea sententia prorsus aliter interpretandus est. Nam in ablativis *metu spe gaudio* inest causalis notio quoniam metus spes gaudium causae sunt animi commoti. Metus vero spes gaudium nascuntur ex mirando hoc tanto tam repentino bono, quare hic statuendus est ablativus instrumenti. Fortasse autem consideranti:

Plauti Stich. 55: Scio atque in cogitando maerore angeor;
„ Trin. 224: Multum in cogitando dolorem indipiscor

etiam loco de quo agimus scribendum videtur:

ita animus commotust metu
Spe gaudio in mirando hoc tanto tam repentino bono;

praesertim cum mutatio propter sequentem litteram *m* fere nulla sit eaque totus locus magis perspicuus fiat.

Eiusdem constructionis exempla quattuor afferuntur ex Catonis de re rustica libro. Quorum extant in capite CXXXIV haec tria:

> Priusquam porcum foeminam immolabis, Jano struem obmoveto sic: Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor uti sies volens propitius mihi liberisque meis domo familiaeque meae;

et ibidem:

> Ferctum Jovi moveto et mactato sic: Juppiter te hoc fercto obmovendo bonas preces precor ut sies volens propitius mihi;

et ibidem:

> Postea Jano vinum dato sic: Jane pater. ut te strue commovenda bonas preces bene precatus sum, eiusdem rei ergo macte vino inferio esto.

Praeterea in capite CXXXIX legitur:

> Eius rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor uti sies volens propitius mihi.

In his precationis formulis ablativum absolutum statuere probabile mihi non videtur cum aliae se offerant explicationes. Primum enim constructiones illae simplices ablativi instrumenti esse possunt quoniam strues commovenda preces reddit bonas efficitqne ut deus volens atque propitius sit oranti. Tum etiam cogitari potest de ablativo modi qui saepissime in precationis formulis invenitur velut

> Velatis manibus orant (Plauti Amph. 257)

et

> Quis hic est operto capite qui Aesculapium
> Salutat? (Curcul. 389).

Similia apud posteriores poëtas Vergilium Ovidium et ceteros creberrime inveniuntur. ,Quamquam in locis e Catone supra allatis strues commovenda et porcus immolandus non preces quasi comitari sed ipsarum precationum

pars esse videntur, ut melius sit de instrumentali ablativi usu cogitare.

Itaque apud antiquissimos Romanorum scriptores verum exemplum participii futuri passivi usus absoluti non extat. Posteriore autem tempore num huiusmodi ablativi reperiantur de hac re iudicare nequeo.

Sunt denique etiam enuntiata quibus subiectum deest, quoniam nonnullorum verborum propria est impersonalis natura (cf. Plauti Bacch. 379 et Asin. 110) ac pariter etiam perfecti passivi tertia persona neutro genere occurrit sine subiecti significatione. Talia enuntiata si ablativo absoluto exprimuntur, subiecti ablativus omittitur, omnino enim deest subiectum, praedicatum autem solum ponitur in ablativo participii. Eiusmodi vero exemplum apud Plautum non invenitur id quod facile ex ablativi absoluti apud Plautum usu nondum nimis exculto explicatur.

Apud Terentium autem duo iam exempla extant:

Hecyr. 94: Nam illi haud licebat nisi praefinito loqui;
ibid. 737: Nam ea aetate iam sum ut non siet peccato mi ignosci aequom.

Quod dixi hunc ablativum iam apud Plautum vere absolutum esse, ita ut enuntiati vice fungeretur, id valde confirmari videtur collocatione ablativi absoluti in prisca latinitate. Structura enim ablativi absoluti dirimi nequit voculae alicuius quae ab ea aliena sit insertione atque ea tantum vocabula interponi possunt quae aut pendent ex participio aut ad constructionem illam accommodata sunt. His adnumerandae sunt encliticae particulae velut *quidem*

Plauti Amphitr. 749: Me quidem praesente nunquam factum est quod sciam.

Eadem de causa librorum scriptura

Plauti Stich. 455: Lubente hercle me facies
non offendit, sed metri causa scribendum est
Lubente me hercle facies.

Regulae illi constitutae sicut plurimis exemplis quae antea attuli confirmatur, perpauca tantum exempla oppugnant, quae facili collocationis mutatione emendari possunt, qua in re pro magna illa exemplorum regulam confirmantium multitudine contra artem criticam peccare mihi non videor, praesertim cum in Plautinis codicibus saepissime verborum collocatio metri causa mutanda sit.

Ac Primum quidam contra regulam peccat librorum scriptura in Fnnii versu 58 (Ribbeck.):

Miser aut qui te sic respectantibus tractavere nobis

quo loco *inspectantibus* scribendum esse supra demonstravi. Collocatio antem verborum quam libri praebent neque arti metricae nec regulae nostrae respondet neque dubito quin versus hoc modo emendandus sit:

Miser aut qui te sic tractavere nobis inspectantibus.

Tum regula constituta laeditur Plauti Trucul. II. 4,32 ubi Ambrosianus praebet scripturam: *tu me hic absente* quam falsam esse docent Plauti Epid. 60 Terentii Heaut. 230, Phorm. 258, 449, Afran: 6, sed ne Palatini libri quidem qui praebent: *tu hic absente me* veram suppeditant scripturam, mutandum potius est sic:

Sed quod ego facinus audivi adveniens tuom
Quod tu hic me absente novi negoti gesseris.

Etiam duo Amphitruonis fabulae loci corrigendi sunt quorum prior legitur versu 810:

AL. Quid iam, amabo? AM. Ne me appella. SO. Quid tibist? AM. Perii miser,

Quia pudicitiae huius vitium me hic absente est additum,

ubi Fleckeisenus *hinc* scripsit, quod verum non videtur quia ad participia *absens* et *praesens* in ablativi absoluti constructione nusquam adduntur adverbia localia. Nam quod aliquot locis extat adverbium *hic*, spectat ad totum enuntiatum ideoque inter ablativi absoluti membra poni nequit. Qua de causa is quoque versus de quo agitur simplici verborum collocationis facta mutatione scribendus est:

Quia pudicitiae huius vitium hic med absente est additum.

Idem statuendum est de altero loco Amphitr. 825 quem vulgata sic praebet:

Nescio quid istuc negoti dicam nisi quispiam est
Amphitruo alius qui forte te hic absente tamen
Tuam rem curet teque absente hic munus fungatur tuum.

Fleckeisenus summo iure hoc loco dittographiam molestam quam metri quoque confusio prodit recidit et duobus versibus in unum contractis scripsit:

Amphitruo alius te qui absente hic munus fungatur tuum;

qui versus facillime ad regulam nostram ita redigi potest ut scribamus:

Amphitruo alius qui te absente hic munus fungatur tuum.

Porro legitur Asin 455:

Sic potius ut Demaeneto tibi ero praesente reddam.
LI. Erus istunc novit atque erum hic. ME. Ero huic praesente reddam.

Nihil dicam de priore versu, quia *ero praesente* prorsus ad regulam accommodata sunt neque de appositione. utrum pari modo ablativo absoluto adnecti debeat nullo alio vo-

cabulo interposito an liberiore modo addi possit, propter paucitatem eiusmodi exemplorum quidquam certi constitui potest, attamen alter versus regulae nostrae repugnans ita emendandus est:

Erus istunc novit atque erum hic. ME. Ero praesente
huic reddam.

Deinde legitur Poen. 369:

Mene ego praesente illaec patiar dici? discrucior miser
Nisi ego illum iubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi.

Prior versus iam a codicibus varie traditus [25]) atque ita ut locum adscripsimus a Guyeto demum restitutus est. Sed sic etiam non recte se habet versus, quoniam regulae constitutae repugnat ac praeterea participia *praesente* et *absente* in syllaba paenultima ictum habere solent ideoque scribo:

Men praesente ego illaec patiar dici?

Denique legitur Stich 602;

Non me quidem
Faciet auctore hodie ut illum decipiat;

quo loco cogitari potest de emendatione:

Auctore hodie faciet ut illum decipiat;

sed cum antea viderimus apud Plautum hoc ablativorum absolutorum genus quod substantivo verbali efficitur non expolitum esse, ablativi absoluti membra per duos versus dispersa esse possunt, id quod in aliis ablativi absoluti exemplis apud Plautum nusquam invenitur.

Tota haec observatio de collocatione ablativi absoluti in fabulis Plautinis non parvi momenti esse mihi videtur ad Lorenzii sententiam de Pseuduli fabulae versibus 260 squ. qui aliis quoque de causis suspecti sunt stabiliendam, quia

---

[25]) praesente patiar illaec A; illaec patiar praesente BD.

verba illa: *Mortua verba re nunc facis* regulae nostrae repugnantia vel propter metrum difficile mutari possunt.[26])

In Terentii fabulis unum exemplum repugnat legi constitutae, id quod observationem meam valde confirmare videtur quoniam Terentii fabulae multo melius traditae sunt Plautinis. Legitur autem is locus Hecyr. 267:

Minime. Nam postquam attendi
Magis et vi coepi cogere ut rediret, sancte adiurat
Non posse aput vos Pamphilo se absente perdurare

ubi vocabulum *se* non apto loco positum est; facile autem versus emendari potest, modo hiatum in diaeresi admittas:

Non posse se aput vos Pamphilo absente perdurare.

At primus hanc legem qua ablativi absoluti partes vocula quae ab eo est aliena dirimi vetantur laesisse videtur Lucilius in versu 950 (Lachmann):

Hoc missum facies, illo me utere libentei.

Cetera ablativi absoluti exempla quae in Lucilii fragmentis extant ad regulam accommodata sunt:

70: quae horis sublata duabus
Omnia sunt sole occaso [ductoque].
340: Scipiadae magno improbus obiiciebat Asellus
Lustrum illo censore malum infelixque fuisse.
506: Tempestate sua atque eodem uno tempore et horai
Dimidio et tribu confectis dumtaxat eandem
At quartam.

Multo saepius Lucretium legem illam migrasse demonstrant hi versus:

I. 174: Praeterea cur vere rosam, frumenta calore,
Vites autumno fundi suadente videmus?
I. 912: quo pacto verba quoque ipsa
Inter se paulo mutatis sunt elementis
Cum ligna atque ignes distincta voce notemus.

---

[26]) cf. Lorenz, Philolog. XXXV 164.

I. 975: Quorum utrumque tibi effugium praecludit et omne
Cogit ut exempta concedas fine patere.
III. 452: Obtusis ceciderunt viribus artus.
III. 1071: Quom bene si videat, iam rebus quisque relictis
Naturam primum studeat cognoscere rerum.
IV. 996: Donec discussis redeant erroribus ad se.
IV. 1266: quia sic loca sumere possunt,
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
V. 883: Principio circum tribus actis impiger annis
Floret ecus.
VI. 49: Quae fuerint, sine, placato conversa furore.
VI. 264: nisi inaedificata superne
Multa forent multis exempto nubila sole.

Item apud Lucretium ablativi absoluti membra in duos versus dirempta inveniuntur:

II. 263: Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus non posse tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam de subito quam mens avet ipsa.
II. 714: multaque caecis
Corporibus fugiunt e corpore.
III, 576: Quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
Tegmine et eiectis extra vitalibus auris.
Dissolvi sensus animi fateare necessest.

At in Cornificii rhetoricis ad C. Herennium regula illa collocationis in ablativi absoluti constructione religiose observata est, id quod etiam de Cicerone statuendum videtur quamquam accuratius in hanc rem non inquisivi.

Prorsus aliter autem res se habet in Caesaris commentariis, in quibus saepissime invenitur subiectum sententiae primariae inter ablativos absolutos interpositum, eo fortasse consilio ut indicetur etiam actionem quae ablativo absoluto continetur pertinere ad subiectum enuntiati primarii. Cuius generis dicendi aliquot exempla e commentariis de bello Gallico adscribam:

I. 44: Debere se (Ariovistum) suspicari simulata Caesarem amicitia, quod exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere.

II. 11: Hac re statim Caesar per speculatores cognita insidias veritus exercitum equitatumque castris continuit.

V. 49: Quibus litteris circiter media nocte Caesar allatis suos fecit certiores.

VI. 9: Cognita Caesar causa reperit ab Suebis auxilia missa esse.

VI. 17: Neque saepe accidit ut neglecta quisquam religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet.

VII. 1: Indictis inter se principes Galliae conciliis silvestribus ac remotis locis queruntur de Acconis morte.

Breviter attingere volo apud poëtas Augusteae aetatis ablativi absoluti membra interdum dirimi vocabulis plane ab eo abhorrentibus velut apud Horatium in Satir. I 1,20

ita ut pater ille Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit.

Satir. I 1, 18: Vos hinc mutatis discedite partibus.
Ovid. ex Ponto I 3. 73: Caede puer facta Patroclus Opunta reliquit.

Id igitur ex tota disputatione nostra apparere arbitror, legem illam ne inter ablativos absolutos interponantur voculae ab ea constructione alienae, quam antiquissimi scriptores accuratissime secuti sunt, primo neglexisse poetas metro nimirum coactos atque praecipue in hexametris dactylicis, unde postea demum haec neglegentia transiit ad scriptores orationis pedestris.

Aliud grammaticorum praeceptum notissimum est, quo monent ne ablativus absolutus adhibeatur, si secundarii enuntiati subiectum in primario iam commemoratum atque casu aliquo expressum sit. Qui ita regulam constituunt falluntur, si arbitrantur subiectorum diversitatem causam esse structurae ablativi absoluti; recte tantum modo observatum est ablativum absolutum tum demum poni si subiecta diversa sint, per se autem quodvis enuntiatum secundarium transire potuit in ablativum absolutum. Sed etiamsi enuntiata eodem subiecto composita hanc formam induere possunt, velut pro enuntiato: *Cicero cum Athenas*

proficisceretur, Messanam appulsus est dici sane potuit: *Cicerone Athenas profecto,* lingua tamen brevitatis simplicitatisque studio in his enuntiatis nominativum adhibuit: *Cicero profectus.* Enuntiata igitur secundaria in casu absoluto posita propterea proprium subiectum habent, quia alioqui non opus erat constructionem illam adhibere.

Si vero apud antiquissimos Romanorum scriptores percensemus exempla quae huc spectant, statuendum est ablativos absolutos compositos eodem subiecto quod in enuntiato primario legitur non extare, quamquam nonnulla exempla ad hanc rationem composita esse videntur. Nam

Plauti Asin. 583, Nimis aegre risu me continui ubi hospitem inclamavit
Quod sese absente mihi fidem habere noluisset

enuntiati primarii *quod habere noluisset* subiectum est *hospes,* in ablativi vero absoluti subiecto *sese* inest senis Demaeneti significatio.

Praeterea extant hi loci:

Plauti Aulul. 98: Profecto in aedes meas me absente neminem
Volo intromitti.

„ Mil. 558: Ratun es sic me hominem esse omnium minumi preti
Ut ego me sciente paterer vicino meo
Eam fieri apud me tam insignite iniuriam?

„ Poen. 369: Men praesente ego illaec patiar dici?

„ Stich. 312: Vosne ego patiar cum mendicis nuptas me vivo viris?

Terentii Heaut. 912: Quemquamne animo tam comi esse aut leni putas
Qui se vidente amicam patiatur suam? [27])

Plauti Mostell. 221: Quam te me vivo unquam sinam egere aut mendicare.

„ Bacch. 419: Non sino neque equidem me vivo illum corrumpi sinam.

Quae si quis attento animo examinaverit, non dubitabit legitimos ablativos absolutos adgnoscere qui subiecti sint infinitivis, qui et ipsi enuntiati vice fungantur. Enuntiatum enim: *Men praesente ego illaec patiar dici?* non multum differt ab enuntiato eiusmodi: *Egone admittam ut me praesente illaec dicantur?* ubi unusquisque ablativum absolutum legitime positum esse concedet.

Unum autem exemplum a grammaticis profertur in quo si recte se haberet re vera ablativus absolutus cum subiecto enuntiati primarii compositus esset. Atque hoc quidem extat Plauti Trucul. II. 4,85 in antiquioribus editionibus sic scriptum:

Ostendit sese iam mihi medullitus
Se mihi infidelem nunquam se viva fore.

Sed codices Palatini praebent: *ne vivat,* cum apud Nonium p. 139 hos versus laudantem legatur: *dum vivat.* Itaque si conferemus

Curcul. 664: ut semper, dum vivat, me alat
Pers. 494: Unde tu pergrande lucrum facias:
Me memineris, dum vitam vivas

sine dubio Truculenti loco de quo agimus scribendum est:
Se mihi infidelem nunquam dum vivat fore.

[27]) Hoc loco supplendum est verbum *subigitari* aut simile.

Pauca denique dicenda sunt de proprietate quadam priscorum scriptorum latinorum in usu participiorum *absens* et *praesens* quae inter ablativi absoluti constructionem enumerari solet eamque ob causam hoc loco pertractanda est. Legitur enim apud Terentium

Eun. 649: Nescio quid profecto absente nobis turbatumst;

ubi Donatus affert ex Pomponio (47 Ribb.)!

Sine ergo istuc, praesente amicis inter cenam,

et e Varrone ad Marcellum:

Id praesente legatis omnibus, exercitu pronuntiat.

Eandem rem etiam Nonius p. 76 et p. 154 attigit sex locis adscriptis, ac primo ex Plauti Amphitruone:

Nec nobis praesente aliquis quisquam nisi servus;

tum ex Afranio (6 Ribb.)

adeste si hac absente nobis venierit puer;

deinde ex Pomponio (168 Ribb.)

Quidam apud forum praesente testibus mihi vendidit;

deinde ex Novio (57 Ribb.)

Te volumus dono donare pulchro, praesente omnibus;

postremo ex Accio (428 Ribb.)

Est res aliqua quae praesente his prius matura institit.[28])

Praeterea Nonius ex Fenestellae annali libro II affert:

Et quaedam extra praesente exsuis, quaedam absente proiecissem;

ubi valde dubium est quid scribendum sit pro corrupto vocabulo *exsuis.* Certum porro exemplum extat in Plauti Bacch. vers. 139 squ. a Scaligero rectissime sic restitutis;

---

[28]) Sic hic versus sine dubio scribendus est; nam si vera esset tradita scriptura: *praesente te his,* Nonius eum versum non afferre potuisset: itaque delendum est vocabulum *te* ortum ex duplici scriptura extremae syllabae vocabuli *praesente.*

Non par videtur neque sit consentaneum
Quom hic intus sit et una cum amica adcubet
Quomque ausculetur et convivae alii adcubent
Praesente ibus una paedagogus ut siet.

Si vero quaerimus quomodo explicanda sit haec insolita dicendi ratio priscorum scriptorum latinorum, veteres quidem scriptores, quorum testimonia antea allata sunt parum sibi constant modo docentes *praesente nobis* dictum esse pro *praesentibus nobis* modo *praesente* pro praepositione esse positum ita ut *praesente amicis* idem sit ac *coram amicis.* Quarum explicationum priorem esse nullam unus quisque intelleget, quid autem de altera statuendum sit postea videbimus. Eandem rem etiam nostra aetate attigit Klotzius in censura Propertii editionis Hertzbergianae in annal. philol. XXXXIX 41 qui putat actorum antiquorum modo *praesente: als gegenwärtig war* per se positum et tum solutiore ratione singularem vel pluralem numerum additum esse, tamquam *praesente: amicis.* Huic explicationi repugnat quod ex actis antiquis nullum exemplum servatum habemus et omnino ex actorum sermone vix talis inconcinnitas in vividum sermonem scenicum transibit. Itaque hanc explicationem nimis artificiosam mittamus atque simpliciorem repperire conemur.

Atque si primum exempla ablativorum vere absolutorum qui participiis *praesens* et *absens* compositi sunt examinemus, apparet verborum collocationem non constare et poni modo: *me absente, illo absente, ero praesente, illisce absentibus, illis praesentibus* modo: *absente me, absente ero, praesente ted.* Sin autem exempla structurae de qua agimus percenseamus, statim verborum *praesente* et *absente* collocatio in primo loco in oculos occurrit, qua re Am-

phitruonis locus, qui non in codicibus Plautinis sed a Nonio tantum traditur, emendandus est hoc modo:

Nec praesente nobis aliquis quisquam nisi servus.

Qua observatione vocabulorum *praesente* et *absente* in talibus locutionibus primo loco positorum probabilior redditur explicatio veterum grammaticorum, qui *praesente* et *absente* pro praepositionibus posita esse docuerunt. Huc accedit quod in linguis romanicis a lingua latina derivatis participia nonnulla praepositionum notionem prorsus adoptarunt velut *mediante, durante, non obstante.* [29]) Comparari etiam possunt similes structurae in lingua latina medii aevi velut: *excepto decem solidos, excepto illos, excluso omnium legum beneficia.* [30]) Atque summa quae intercedit cognatio inter linguas romanicas et sermonem latinum volgarem vel ea in re apparet quod exempla allata omnia sumpta sunt de scriptoribus qui sermone volgari usi sunt. Quid quod auctor ad C. Herennium IV. 11,16 illiberalem et paene exilem sermonem ficturus haec composuit:

Nam istic in balineis accessit ad hunc; postea dicit: „hic tuus servus me pulsavit;“ postea dicit hic illi: „considerabo.„ post ille convitium fecit et magis magisque *praesente multis* clamavit.

Haec omnia si consideraverimus, luce clarius mihi videtur esse etiam vocabulis *praesente* et *absente* in compositionibus illis de quibus agimus praepositionum naturam esse assumptam.

---

[29]) cf. Dietz, Grammatik der romanischen Sprachen III 182 (ed. II.)
[30]) cf. Dietz, III. 181.

VITA.

Ernestus Bombe natus sum *Cottbusii* anno h. s. LIV. a. d. XV. kal. Dec. patre *Carolo* matre *Augusta* e gente *Schmidt* quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Prima litterarum elementa edoctus puer decem annorum inter discipulos gymnasii Cottbusiensis, quod illo tempore *Purmanno,* deinde *Braunio* rectoribus florebat, nunc a *Noetelio* optime regitur, receptus sum. Auctumno anni h. s. LXXII maturitatis testimonium adeptus ut studiis philologicis operam darem Lipsiam me contuli atque per duos annos scholis interfui vv. dd. *Brockhausii, G. Curtii, Delitschii, Drobischii, Ecksteinii, Fritzschii, Gardthauseni, Hermanni, Hildebrandii, Hirzelii, Langii, Lipsii, Overbeckii, Ritschelii, Wenckii, Wuttkii;* exercitationibus proseminarii philologici quod *Curtio* et *Langio* moderantibus florebat per anni spatium interfui. Ut studia conficerem auctumno anni h. s. LXXIV Gryphiswaldiam adii, ubi per quatuor semestria audivi vv. ill. *Hillerum, Hirschium, Kiesslingium, Schuppium, Susemihlium, Ulmannum.* Seminarii philologici quod auspiciis *Hilleri, Kiesslingii, de Willamowitz-Möllendorff* florebat, sodalis per unum semestre fui extraordinarius, per tria quae subsecuta sunt ordinarius; atque exercitationes historicas geographicasque ab *Hirschio* et *Ulmanno,* Aristotelicas et Platonicas a *Susemihlio,* epigraphicas et historicas a *Preunero,* philologicas a *Schmitzio* institutas, philosophicas quas *Schuppius* moderabatur, philologicas et didacticas quae privatissime a *Kiesslingio* et *Schuppio* habebantur frequentare mihi licuit.

Quibus omnibus quos nominavi viris doctissimis optimeque de me meritis gratias nunc ago semperque habebo quam maximas.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Soph. Oed. tyr. vs. 326/27 choro tribuendos esse censeo.

II. Aristoph. Thesmophor. 107 squ. legi malim:

ἄγε νῦν μόλπαζε Μοῦσα
χρυσέων ῥύτορα τόξων
Φοῖβον·

(cod. Ravennas: ὅπλιζε).

III. Plauti Trucul. II 4 vv. 51/52 legendum:

Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Novisti nostram quae med erga bene se habet?

IV. Plauti Stich 14 squ. sic scribi velim:

qui viris
Nostris absentibus facit
Tantas immerito iniurias
Nosque ab eis volt abducere.

(libri: Tantas absentibus facit
Nostris immerito iniurias).

V. Terentii Hecyr. 281 equidem sic scribo:

Nemini acerba plura credo esse ex amore homini unquam oblata
Quam mihi.

VI. Lachmanni sententia de partitione Propertianorum carminum in quinque libros probanda est.

VII. Sen. Herc. Oet. 248 squ. codicum scriptura:

In vultus *dolor*
Processit omnis; pectori paene intimo
Nihil est relictum. Fletus insequitur minas;
Nec unus habitus durat, aut uno furit
Contenta vultu: nunc inardescunt genae;
Pallor ruborem pellit, et formas *dolor*
Errat per omnes: queritur, implorat, gemit

servanda est.

VIII. Wiponis vita Chuonradi II imperatoris composita videtur tempore inde a mens. Jun. anni 1045 usque ad mens. Dec. anni 1046.